

communi aestimatione mediante redemptibiliter, illorum vero simpliciter, ipso facto vincatur; executioque tam hujus, quam etiam priorum impeditarum Sententiarum, per exmittendum Magistrum Proto-Notarium peragatur.

§. 4. Eo tamen respectu Causarum, Tabularum Districtualium, nec non quoad praedicta Regna Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, respectu Tabulae eorundem Judiciariae declarato; quod in casu, quo ne forte in Causa evidenter non extra, sed intra Dominium Transmissibili (non obstante Partis Convictae Appellatione) Executio intentaretur et contra eandem Oppositio subsequatur; eorum vi Appellatae interpositae, Causa praevis in Foro Superrevisorio, Curia quippe Regia, vel respective Banali discuti et accessorialiter ipsum etiam factum Oppositionis cognosci ac decidi debeat: Qua occasione, si Oppositio, vel Bonorum executorum Reoccupatio approbata non fuerit; eandem attentans, in praedicta Curia Regia, aut respective Tabula Banali, in praedecaratis poenis Articuli 31. An. 1681. pariter vincetur.

§. 5. Si quo casu autem, post huiusmodi Convictionem, Executioni (praevis remissione, ex Curia Regia, Causae) medio exmittendi Assessoris Tabulae Districtualis, vel respectu praedictorum Regnorum Croatiae, Dalmatiae ac Slavoniae, eorundem Tabulae Judiciariae, instituendae, semet denuo opponeret; modalitate jam praedecarata, Poena Majoris Potentiae, in praememorata Curia Regia; aut respectu Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banali pronuntiandae; subjacebit.

§. 6. Id quod etiam ad Causas, impedimento huiusmodi indebitae Oppositionis, actu inexecute haerentes; extendendum veniet.

De Judicatu Comitatus.

Articulus 35.

Articulo 28. Anni 1715. Sua Sacratissima Majestate benignissime annuente, superadditur:

§. 1. Ut Causae Pignorum, quando Bona uni et eidem Comitatu adjacent, etiam ad Summam indefinitam, in Comitatu adjudicari possint.

§. 2. Et quia Sedes Judiciariae Comitatus continuo celebrari nequirent; idcirco (exceptis Causis Criminalibus; nec non iis et talibus Magistratualibus, seu Politica tangunt; nec non contra Dimissores Malefactorum, aut adversus Terrestres Dominos, Urbaria excedentes;) caeterae omnes Causae, etiam in Partibus, per Vice-Comites ac respective Judices Nobilium revideri, et decidi valeant;

§. 3. Appellatione ad Sedem Judiciariam Comitatus, pro qualitate Causarum, partim intra, partim extra Dominium, Salva permanente.

§. 4. Judicatusque Vice-Comitum, in Causis quidem Liquidorum Debitorum, ad Summam Duodecim Millium Florenorum, pure in Capitali computatam; in Causis autem Pignorum, usque ad Summam indefinitam: Judicum Nobilium autem, sive in Liquidis Debitis, sive in Pignoribus; tantum ad Summam Florenorum trium Millium, aequae respectu Capitalis tantum intelligendam, procedere valeat.